Quelle: https://manuscripta.at/?ID=924
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

que dicta die eidem processionaliter deferuntur, se conferret in itinere subito
vehemens dolor spasmi in genu pedis dextri invasit Ita quod in ter-
ram prostrata nullatenus ulterius transire potuit Tuncque testis ipsa
ex hoc plurimum anxia intra quasi desperata iaceret, venit sibi in
memoriam quatenus se ad tumbam beati Leopoldi devoveret Voto igitur huiusmodi
cum pede cereo per eam emisso statim omnis dolor ab ea recessit, et
idem votum incolumis complevit **Katherina** relicta
quondam Georii Molitoris de Newnburga claustrali Interroga-
ta dicit, qualiter ipsa ante annos decem et octo per tres annos continuos
contractionem manuum una cum febre quartana passa fuit unde
nullo medicamine relevari poterat Dictus vero Georius eius
maritus tunc in humanis agens informatus, dictam testem eius
uxorem cum oblatione cerea ad tumbam beati Leopoldi devovit
quo per eum completo statim ex toto infirmitate liberata fuit
Wolfgangus Pachmer de Siffering inferiori patavie dioc-
esis laicus coniugatus etatis sue annorum viginti octo ut circa Interro-
gatus dicit qualiter ipse de anno domini etc. sexagesimoquinto per
medium annum febres quartanas passus nullo medicorum ope cura-
ri poterat, plures quoque ecclesias beate Marie virginis et sancti Mar-
tini pro sua salute ex voto visitans nichil sibi profuit, Tandem
informatus tumbam beati Leopoldi circa festum sancti Martini
circa die qua febribus molestari deberet cum oblatione quarte
partis libre cere ex voto visitans sanus abiit, et easdem amplius
usque in hodiernum diem non sensit **Albertus** Ebemperger
de Grinzing patavie diocesis laicus coniugatus Interrogatus dicit
qualiter ipse anno domini etc. sexagesimoquarto circa festum In-
ventionis sancti Stephani maximum capitis dolorem incidit
unde per quinque ebdomadas integras intantum cruciatus quod excecatus
et quasi surdus effectus sit Tandem una nocte dum in maxi-
mis doloribus obdormivisset, apparuit sibi quedam visio sibi
persuadens ut se ad tumbam beati Leopoldi cum oblatione cere
devoveret et sanaretur Tuncque testis ipse evigilans, voto emisso